

Quaestio medica ... An corpora quae lentè extenuata sunt, lentè reficienda; quae vero brevi, celeriter?

Contributors

Pautier de Labreuille, Denys, active 1769.
Hérissant, Louis-Antoine-Prosper, 1745-1769.
Faculté de médecine de Paris.

Publication/Creation

[Parisiis] : [apud Quillau], [1769]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qygpruxd>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
*manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ
sextâ mensis Martii, Anno Domini M. DCC. LXIX.*

M. DIONYSIO DE LABREUILLE, Serenissimæ
Delphini & Serenissimæ Delphinæ, dum viverent,
Medico Primario, Doctore Medico, Præsidente.

*An Corpora quæ lentè extenuata sunt, lentè reficienda,
quæ verò brevè, celeriter?*

I.



UM ità constitutum sit humanum corpus, ut eo ipso motu
pereat quo vivere concessum est, ceu flos aratro succisus,
brevè languesceret, nisi, uberrimo succi cujusdam nutritii
proventu, continua repararentur fluidarum simul & firma-
rum partium effluvia. Hanc autem ad prævertendam ma-
lorum causam, sparguntur undequâque innumerabilia variæ conditionis
corpora quæ in nostram substantiam converti valent. Num ideò omne
à nostris cervicibus periculum arcetur? Sæpe mortem haurimus cum
ipso antidoto quo morti occurritur. Non tamen de nocivis alimentorum
facultatibus loqui juvat. Pejora haud rarò damna videmus emergere ex
nimiâ præstantiorum copiâ, quæ certis limitibus definiri nequit, nisi ad
organorum vires attendatur. Non enim, ut sponte à naturâ porriguntur

A

alimenta, non etiam, ut arte præparata ingerimus, corpus reficiunt; sed requiritur insuper, ut multiplici organorum genere subacta ex propriâ indole in chylum, ex chylo in sanguinem, ex sanguine in humores nutritios facebant. Hinc ob ætatis, sexûs, temperamenti discrimina, non eandem rectè ciborum copiam ascribas fœminis, pueris, senibus, iis qui athleticâ donantur constitutione; non etiam eidem semper homini tempestatum vices experto. Nec illud latuerat Medicinæ principem, qui cùm in assignandis morborum remediis, tum in evolvendis quæ ad sanitatem tuendam conferunt, sagacissimus, tot & tanta in libris verè aureis consecravat de comparatione inter vires & cibos instituendâ. Hoc fanè fretus principio in Aphorismis (*) asserit lentam refectionem lentè extenuatis competere, celerem verò iis qui brevè emaciati sunt. Illud eò libentiùs conamur propugnare quòd certioribus recentioris Physiologiæ argumentis aptè congruat divi senis doctrina.

I I.

VIX credunt homines quàm parùm suis consulant rebus, ubi sese dapibus ingurgitant, dum non eo pollent robore quod ad illas propè digerendas requiritur. Haud temerè affirmaretur idem prorsùs iis contingere ac si manus sibi violentas inferrent. Singula enim perlustremus organa, quorum ope efficitur triplex illa, à veteribus decantata, coctio; horum & ingestæ molis vires oppositas, conatus mutuos assequamur, certam cladem toti machinæ imminentem deprehendemus, si quidquid assumptum est validioribus organis non perfectè subigatur. Et verò ubi, cæteris paribus, nimia ciborum copia in ventriculi cavitatem demissa fuerit, brevè sub pondere dolet organum imbelle, ad contractionem frustrâ sollicitantur musculares fibræ, presso diaphragmate anhelat pectus, rubore malefido suffunduntur genæ, caput gravedine laborat, unde infelicior admodum prima ingestorum coctio. Quid ex illâ mole rudi & indigestâ videmus emergere? Pars in ventriculo hærens cacochiliam aut saburram crudam procreat, quæ singultum, nauseam, cardialgiam movet, ructus vappidus, acidus, nidorosos excitat, orique communicat ingratum saporem. Nec minori symptomatum molestiâ afficitur intestinalis

(*) Τα ἐν πολλῷ χρέονι λεπυρόμενα σώματα, γωθράς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως. *Aph. sect. 2, n. 7.*

tubus, ubi malè subactus chymus pylorum trajecit. Etsi enim, digestionis tempore, bilis in duodenum deferatur ad absolvendam chyli præparationem, non ideo eduliorum nutritivæ moleculæ ab heterogeneis liberantur. Quomodo liquor parcius fluens in uberiores ingestorum copiam suum munus exerere possit? Quomodo motum peristalticum promovere? In debilioribus organis pneuma incarceratum borborygmos ciet, tumet abdomen, nascitur tenesmus, quem brevè sequitur lienteria. Dum autem, medios inter dolores, his viis eliminantur quæ nunquam ingeri debuerant, per ductus lacteos, qui corporis mucosi soboli genuinæ meliùs paterent, sanguinem petit succus impuritate nocens, non in vitale fluidum convertendus, illud vero omni sordium genere inquinaturus. Ut enim ex parciore salivâ depravatur masticatio, ut, deficientibus succis qui ex pancreate & hepate manant, non satis diluuntur nec dissolvuntur edulia, sic, ob majorem chyli crudioris copiam, suâ actione quasi defraudatur lymphæ ex glandulis mesenterii in vasa lactea defluens. In pulmonum recessibus cum ultimi arteriæ pulmonaris ramuli fæculento illo latice turgeant, comprimuntur vesiculæ bronchiales quæ iis ramulis ambiuntur & aeri per asperam arteriam irruenti, intra folliculos membranaceos quodammodo præcluditur aditus. Hinc, quamcumque hypothèsim de hæmaphosi fingere audeat Physiologia, sive, quem spirando trahimus, aer purpureorum globulorum attritioni conferat, sive fluidum æstuans temperato frigore recreet, sive, ut quibusdam recentioribus arridet magis, eidem colorem coccineum conciliare valeat, semper manebit inconcussum ex malè subacto chylo non oriri posse genuinum sanguinem. Res demum non feliciùs succedit ubi absolvit iter impurus latex. Nimirum ità conflata sunt quarundam arteriarum extrema ut præterlabendo superfluâ parte sanguis liberetur, & defæcator exurgat nutritius humor. Si autem uberiores sint alienæ indolis moleculæ, ultrà modum replentur hæc capillaria vasa. Quapropter vel mutatâ tubulorum diametro, vel humoribus ingenitis, si adsunt, cum moleculis heterogeneis consortium respicientibus, vel inhibitâ fermentatione, non ritè secernuntur quæ segregari debent, non eliminantur excernenda. Dum verò urina fluit pallidior, dum perspirabilis minuitur halitus, & crassiores moleculæ in vasis hærent, cacochylia in cacochymiam abit, quam ut foràs propellat sæpe febriles æstus excitat natura. Non igitur corporis indoli affinis humor ad partes refarciendas appellit, sed succus crudior interstitiis replendis malè adhæret, undè nedum nutriantur artus, turgent, gravan-

tur, fœda que morborum cachecticorum cohors ingruit. Ex dictis patet, hunc adesse inter chylosim, sanguificationem & secretiones consensum ut, si prima vitietur, eadem labes cæteras inficiat.

Quam citiùs hæc ingruent symptomata si eâdem debilitate, quâ viscera tantùm chylopoietica affici supposuimus, laborent insuper organa sanguini conficiendo dicata ! Fibris atoniâ torpescentibus, languente cordis pulsu, pars serosa sanguinis à thrombo purpureo facilius separatur. Hinc œdematosi tumores, frigus, torpor animi & corporis, cruoris in vasis majoribus stagnatiò, pulsus rarus, parvus, mollis, inæqualis, intermittens, undè cordis palpitationes. Quis non videat tot & tantas pestes morte tristiores fore, nisi ad ipsam citò ducerent ?

I I I.

QUIDQUID attulimus in medium de iis hominibus apud quos, ut potè viribus distitutos, non ritè succedit nutritio, idem de corporibus lentè extenuatis dictum habeas. Etverò in illos homines conjiciantur oculi. Quam parum valeant externus prodit aspectus. Artus torpent, periit faciei decor, languent oculi, excavantur genæ, vix cute ossa continguntur. Nec satis. Partes internæ fatiscunt debiliores; ventriculus, intestina, canales sanguiferi motu solito ferè orbantur. Spiritibus & moleculis balsamicis depauperantur humores. In hâc autem partium conditione, sivè studiis, aut aliâ causâ id genus, extenuatum fuerit corpus, sivè etiam intestino viru exesum, cum in organis deprehendatur tantum imbecillitas, haud verò labes peculiaris, non ægrotare dici potest, sed in eo versare valetudinis gradu qui morbofo affectui proximè conterminus est. A debitâ fibrarum crassitie ut & ab earum flexilitate partium robur: hoc in confesso. Ubi ergo viget sanitas, adæquata veluti proportio reperitur terram inter & gluten quæ fibras constituunt. Gelatinosum illud vinculum novis semper succis imbuit, semper reparat, circuitum agens, vitalis latex; quod etiam præstat mollis pinguedo toti corpori circumfusa. Quid autem diversi extenuatis contingat? Imminutâ purpurei laticis copiâ, omni dilapsâ pinguedine, fibræ non benigno humore alluuntur. Hinc contractâ diametro in arctius coguntur vasa; hinc omnes ferè crispantur partes, suoque defraudantur elaterio. Lentissimo igitur gressu serpunt fluida, succi concoctores & alii parciùs secernuntur. Omnium hominum imbecilliores sunt qui in hoc versantur discrimine, si tamen ip-

fos ægrotantes excipias. At quam tristior illos manet conditio, ubi, premente fame, nimis indulgent gulæ. Chyli crudioris labe pessumdati humores suum singuli morbum afferunt. Ubi enim fontis caput limo inficitur, totus quantus est, alvei liquor fluit lutulentus. Cùm aliundè in organis quæ purpureo latice fœta sunt, non satis adsit virium quæ vitia primæ concoctionis emendent, nullo modo restaurantur sanguis & lymphæ, nutritivæ partes solidorum poros minimè subeunt, & ferè præclusis excretionum viis in corpore uberior remanet pravorum succorum copia quam foras propellere incassum conatur æstus febrilis.

Neque verò illud metuas, si corpus celeriter inanitum fuerit. Etsi enim eadem videatur tristis & arida facies, magnum certè, quoad partium internarum robur, deprehenditur discrimen; idem ferè effectus, diversæ verò hujus causæ, diversa earum actio. Quæ acutiora mala creant, quasi vi apertâ, & repetitis ictibus corpus laceffunt; aliæ sensim & occultè grassantur ut validius lædant. Hæ damnum eò certius inferunt, quòd pertinacius agant: illæ initio vehementius verberant, mox ardore posito residunt. Hinc deletis acutiorum causis, ceu robustus athleta à robustiori dejectus repente humi procumbit resupinus, deinceps ex ipso casu ferox, surgit ad luctam acrior; sic corpus licet infirmum videatur; licet motu priùs aucto & expulsis humoribus sit quodam modo defatigatum functionibus tamen ritè exercendis aptum est & iis dotibus pollet quæ ad dapes concoquendas requiruntur. Cum ergo vires oppressæ fuerint potiùs quàm exhaustæ, largiori manu, & sinè noxâ præberi possunt alimenta quæ in bonum succum & in ipsam convertuntur substantiam.

I V.

UTINAM quotidiana non confirmaret experientia quod, de extenuatis sese largiori cibo ingurgitantibus, Physiologiâ freti asseruimus. Sed ex immensâ hominum multitudine pauci sapiunt. Obscura enim subeamus penetralia in quibus lividæ hospitantur assiduâ scientiarum meditatione extenuatorum effigies. Ii scilicet, solidis diebus, per amica etiam somniferæ noctis silentia libris impallent, fugiunt vel umbram oblectamenti. Si illos librorum helluones forsan invisant amici, inter ridentes severos videas, inter colloquentes meditabundos. Hinc mente semper studiis contractâ, semper ad res enixâ laboriosas, corpus languet defatigatum, sensimque necessario motu defraudantur functionum organa.

Quid rursus si eosdem comedentes intueamur? Fame quasi rabidâ coacti largam ciborum copiam, more harpyarum, vorant, ut celerius ad libros advolent. Nec indè restaurati tanquam è sepulchris eruta cadavera horrorem movent aspicientibus, mox præcoci morte laboris malefani pœnas daturi graviores. Prætereà sunt inter nos, rectius dicam, fuere qui cum, medentis operâ, ex orci faucibus fuissent erepti, spontè ruunt in tumulum. Qui ad prævertendam illorum perniciem austerioribus hygieines præceptis obtemperare suadent, furdus canunt. Validius clamitant mulierculæ, latrat stomachus, salivam movet lautus ferculorum apparatus: quid inde? Ex alterâ parte imminentem mortis falcem non respiciunt miseri; malefidam dapum ingerendarum voluptatem cum longioribus jejuniis sibi crudeles compensare amant. At brevi magis ac magis deficiunt vires, cadunt quasi fulmine perculsi, & morientibus oculis fera nimis veritas detegitur. Quid dicam de juvene

Magnum cui versat in ossibus ignem

Durus amor?

*Virg. Georg.
lib. 3.*

Quid de vesanis illis qui, respuentes mutui confortii delicias, nobiliori usui destinatas vires turpiter in obscurâ libidine consumunt? Frustrâ poculorum ope conantur vires revocare fugitivas, magis ac magis fatiscit caduca illorum compages, tandemque non ingluviè minus quàm miseræ voluptatis victimæ pereunt. Quàm autem diversa sit eorum conditio qui rationis præcepto potiùs quàm fallaci appetitu ducti, quòd vires ferre non possent sibi denegant. Eorum ferè totus in nutrimentum cedit cibus quantuluscumque in ventriculum ingestus; mirum quantum redit artibus vigor, totus floret habitus; ac brevi frons serena, hilares oculi, roseus genarum color, sanitatem mentis, athleticum organorum robur, functionumque integritatem denunciant. Idem prorsus iis contingere videmus qui ex pleuritide, febre putridâ, aut alio quovis morbo acutiori recreati satis amplâ ciborum copiâ vescuntur.

V.

NE quis verò objiciat extenuatos majori nutritione indigere quàm cæteros homines. Id quidem libenter concedimus; at non ex majori nutrimento emergit nutritio major. Nam, ut ait Galenus, *non alit ingestum, sed concoctum*. Falsâ eâdem deluduntur imagine qui sollicitum ventriculi ardorem opponunt. Fames enim quæ corpus esse reficiendum indicat, non alimentorum mensuram semper definit. Quòd jam & Areteus de

*Comment. in lib.
Hip. de alim.*

Cachecticis notavit : *Multos utique cibos appetunt, edaces admodum sunt, celerior concoctione distributio fit crudiorum magis quàm concoctorum. Hinc licet exhausta corpora majorem repletionem poscere videantur, ratio tamen præscribere suadet parciolem victum, de quo ita Hippocrates Si homo parum edit aut bibit in nullum morbum incidet. Cùm autem ea quæ in veram propositionem vibrantur tela, semper imbellia finè ictu cadant, nihil obest quin ad mentem Hippocratis concludamus :*

De causis & signis m. d. l. 1. cap. 16.

L. 4. de morbis

*Ergo corpora quæ lentè extenuata sunt, lentè reficienda;
quæ verò brevè, celeriter?*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS-ANTONIUS-PROSPER HERISSANT, Parisinus, Regiæ Scientiarum & Litterarum Blitterrensi Academia, necnon Altiffiodorensi Litterariæ Societati ascriptus, saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos auctor, A. R. S. H. 1769, à sextâ ad Meridiem.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side.